

bus significaret, malevolos homines, inter Suleimanum, ac Venetos diffidia quærentes, tormentis hominem illum indigne adigisse, ut quæcumque illis visa fuissent, enunciaret, atque tota ea de re ad legatum Byzantii scripsit. Janusbejus quingentis aureis nummis, & veste donatus: atque ut, si quæ in Suleimano obortæ de Republica suspiciones fuissent, excuterentur, paribusque officiis erga illum ageret, Thomas Contarenus legatus Byzantium missus est. Pontifex vj. idus decembris cum multis Cardinalibus Bononiam pervenit: Cæsar cum vij. idus Mantuam profecturus esset, idibus eodem se contulit.

1532

Thomas Cō-
tarenus By-
zantium le-
gatus.

M. D. XXXIII.

ATque anni sequentis initio de gravissimis rebus a Clemente, & Carolo agi coeptum est, quæ ad duo potissimum capita redigebantur; alterum ad religionem spectabat, quam in dies in Germania labantem, atque in aliis Europæ regionibus divulsam sustentare, & fulcire necessarium videbatur; alterum vero ad pacem christianæ reipublicæ ac præsertim Italiæ firmandam, præsentemque in ea statum retinendum attinebat: qua in re præcipuum censebatur, ut Veneti, quorum animos antea irritò conatu exploraverant, novo, atque arctiori fœdere obstringerentur. Itaque cum reliqui Italiæ Principes suos oratores Bononiam misissent, Marco Antonio Venerio, & Marco Antonio Contareno, altero apud Pontificem, altero apud Cæsarem legato, ad se vocatis, nil antiquius sibi esse affirmant, quam pacem publicam, & præcipue Italiæ incolumitatem, ac decus servare: scire se eadem mente Rempublicam esse: quapropter petere, ne ab iis consiliis abhorreat, quæ communi huic sententiæ conducere possint: Senatui minime ignotum esse, quæ de Genua occupanda superioribus mensibus prodita fuerint: statu illius Reipublicæ immutato, haud dubia bellorum incendia in hac provincia exarsura: quapropter novum percuti fœdus oportere, ut communibus viribus civitas, quæ tantum omni tempore momenti ad res Italicas attulit, defendi possit. Cæsaris, ac Pontificis postulatis in hanc sententiam Senatusconsulto, uti alias quoque, responsum est. Quæ in bonum publicum, & Italiæ pacem Reipublicæ voluntas sit,

1533

Conventus
Bononiensis
inter Pontifi-
cem &
Cæsarem.

Marcus
Antonius
Venerius &
Marcus
Antonius
Contarenus
ad Pontifi-
cem & Cæ-
sarem lega-
ti.

Clementis
& Cæsaris
officia cum
Venetis le-
gatis.